







Epithalamia

In festivitatem nuptiarum

Ornatissimi, literatissimiq; viri,

Dn. ABRAHAMI VIERTHAL-
LERI Amplis. Senatui Cothoni-
ensi ab epistolis publicis,

S P O N S I,

Quas cum

Lectissimâ & pudicissimâ virgine

A N N A,

Amplissimi & prudentissimi Viri

Dn. FRIDERICI HAMELII
Servestanæ Reipub. Consulis
meritissimi, filiâ

S P O N S A

Celebrabit Servestæ ad D. 8. Iduum Februa-
rij anno æræ Christianæ 1609.

*Congratulationis ergò scripta ab amicis, quorum sua
cujusq; versibus nomina sunt adscripta.*

S E R V E S T Æ

Imprimebat Christophorus Vveida.

Anno 1609.





V O T U M

Ad Dominum Sponsum.

Evisum est positis obstringere legibus astus,
Quos ciet in subolem non cohibenda
Venus.

Et prodest Genus à solidâ radice renasci,
Ne sua diversus semina fallat amor.
Ut sit honestati cum religione piorum,
Fœdus, & his coëant omnia limitibus.
Hæc tu sollicitè reputas, sinibusq; volutas
Pectoris, ut pietas integritasq; tua est.
Dum mansuetatum divinitus ambederet cor
Flammula, & in socium pertraherè torum.
Nimirum ad certam tua tendis brachia normam,
Nominis ut proles sit sine labe tui.
Sic tua vota DEUS, sic te servabit honestas,
Huic igitur sit pax aurea connubio!

Joann. Forster. Med.
Reipub. Cothon.





A L I V D.

Ncipe Musa, pios læto cantemus
amores
Carmine, conjugibus fausta
precare novis.
Omne felici conjungitur ANNA
THALERO, (bant.

Quam genus & mores, formæque lauta pro-
Auguror; eveniunt non hæc sine Numine Jovæ,
Hujus enim totum provida cura regit.
Hanc, ABRAHAME, tibi decrevit Rector olym-
Copulat & Sponsam Filius ipse λόγος. (pi,
Spiritus hæc inis operatur cordibus, ut non
Difficili nexu confocietur amor.
Felix, quem tanta adspectat clementia ab alto:
O vita Elysiis æquiparanda bonis!
Res ea grata DEO, casti qui jura pudoris
Non vult dissolvi, sola pudica probans.
Sodoma sit testis, Veneris quam castra secutam
Incestæ evomuit vindicis ira DEI.

A 2

Ergo

Ergo Abrahamæ diu serves consalia pacta,
Ardeat ut studio mutua flamma pari.
Vive DEO, sponsæq; diu, quæ prole parentem
Te faciat; solam hanc pectore solus ama.
Et tu, *Sponsa*, pium sanctè venerare maritum,
Ut tua pacificum pectora pueruma regat.
Ferveat & verus sacrati fervor amoris,
Sic potes offensum conciliare virum.
Vivite felices, felici sidere juncti,
Conturbet vestrum nulla querella torum.
Sustentet cœleste suo vos robore Numen,
Et mala permutet fata subinde bonis.

Congratulationis ergò affini suo deprope-
rabat M. Benedictus Ambrosius, verbi
divini ad SS. Petri & Pauli AA. in
Martis sinu minister.

AD ABRAHAMUM VIERTHA-
LERUM Sponsum.

Vel festertia quattuor dedisses
Si tu donatæ ANNULÆ parata,
Frater, pignus agens novelli amoris,
Non sic grata forent, ut hi Thaleri,
Quos Sponse quattuor tuæ dedisti.

Ejus

Ejus nam Veneres, Cupidineſq;
Gaudes commeruiſſe, Gratiarūq;
Qualis, ſidere à domo relictā,
Imbrem cum Danae aureum decor &
Blandus Juppiter in ſinum dediffet,
Perlabens aliena tecta quondam
Compos factus abibat ille voti,
Dejectum vario timore pectus
Ægrè ſollicitantis! ille templa
Qui cœli ſonitu quatit tremendo!
Ludum conſimilem quid? ô ſua vis
Frater, ludere pergis? an ſupremo
Sic ſcis ex Jove amaſiā potiri,
Dans illi in gremium tuos Thaleros?
Sic exempla ſtatim rapis, probaſq;
Summi, vilis homuncio, parentis!
Non res iſta trahenda ſub ſequela
Exemplum facilis venit: quid? audes
Sic qui dicere, pinguior lucerna,
Purges Elloboro tuum cerèbrum.
Non ſolum rapuit faces Amoris
Summus Juppiter intimis medullis:
Vim ſenſit Dominae Cypri potentis
Undis in medijs Pater profundi;

A 3.

Nec,

Nec, qui Tartareis Deus tenebris
 Imus praeficitur, niger volantes
 Lascivi pueri exijt sagittas.
 At quantus DEUS hic, & ille, & ille!!
 Humanum genus editum caduco,
 Mortaliq; satum, quid? haud amaret?
 Invieta usq; adeo Dea salacis
 Proles igniferis potens sagittis.
 Vis dicam tibi veriora veris:
 Quae vis ingenerata Πρωτοπλάσει
 Genti terrigenum, nec arte qua vis,
 Unquam fas operosiore pelli.
 Hoc ficta ratione sic probatur,
 Hoc sic pagina vult sacra edocere
 Cum dicit: potius velis amare,
 Quam ceco furiosus igne carpi.
 Ergo nil dubium: Facis decentem
 Rem, justam, atq; piam, Deoq; gratam.
 Cum tu pectora sentiens Amoris
 Tentari facibus, latenter ustus,
 Naturae stimulis locum relinquis;
 Illos ad veneranda jussa, & intra
 Concessos bene limites coerces;
 Et solabere pectus aestuosum
 Ardentis face mutua puella.

Fructus

κρείσσον
 ἢ γὰρ μὴ
 σαί, ἢ πύ-
 ρου θάλα.
 1. Cor. 7.

Fruētus percipias honestioris
Conatus, sobolem fera s̄q̄, dulcem :
Illos ut solet hæc manere merces,
Qui summi coluere iussa Patris ;
Ad nutum illius exigunt q̄, vitam .
Heros Aurigena editus Tonanti
Partu prolifero Parentis almæ,
Spes vel maxima depluentis auri !
At cum fenore copiosiore
Reddet Sponsa tibi novos THALEROS .
Nam pro quattuor audies ducenti :
Quot natos aluisse fertur olim
Scylurus Scythæ sæculi prioris ;
Uno qui bene fasce colligatos,
Frangendos baculos simul semel q̄ ;
Desperatum opus & labore plenum ,
Natorum manibus dedit : sed ipse
Fregit postmodò singulas seorsim :
Sic effecta notans amoris inter
Germanos proprii q̄, federis q̄ .
Vel si quinq̄, decem minus placebunt ;
Mater quid numerosius datura est .
Ut quot lusimus in joco Thaleros,
Ludant ante pedes tuos Thaleri .

Atque

*Atq; hoc auspicio bono beatus
Ut rectè efficias; tibi Supremi
Plenus sit vigor à benignitate;
Vitaq; accipias perennitatem
Cornicum; facileq; mentè motus
Intra pectora turturum capeffas;
Sponso Sponsa pari ambuletq; passu.
At tu Maximus ô Dator bonorum,
Qui summâ resides in arce cœli,
Has fac, queso, ratas precatationes.*

F. Christoph. Vierthalerus apud
Cothoniens. Ludimod. Fr.

A L I V D.

Cùm præpotenti cuncta suo potens
Verbo creârat præful Olympicus,
Quæcunque nubit undiquaque
Circulus omnipotentis orbis.

Primæva cùm lux, sole prior, vagis
Ire è tenebris iussa erat, ac DEO
Prodîrat expansum jubente,
Pendulû, aquas ab aquis sequestrans.
Et congregatis sub liquido poli
Undis in unum, emerferat aridum,

Circum-

Circum represso ubique ductis
Littoribus pelagi tumultu,
Ac æstuosis cùm radijs novum,
Lustrârat orbem sol positus polo,
Quò jussus ille luculento
Tradita jura daret diei,
Cùm luna verno lumine menstrua, &
Apposta celo sidera fulserant,
Ut fixa noctis sub tepentem,
Tempora dividerent quietem,
Produxerat cùm falsa maris recens
Prolem creati lymphâ natatilem,
Avésque purum metientes
Aëra perceleri volatu,
Cùmque efficaci fuderat ex DEI
Tellus creantis jussu animantia,
Jumenta colli subjugalis,
Reptiliùmque genus, ferarùmque,
En arte demum non imitabili
E limo Adamus fingitur à DEO,
Spiraculo vitalis, illum,
Vivificante, animatus auræ,
Mirare forsân, cur magis ardui
Summo sit orbis collubitum Patri,

B

Finem

Finem quieturo creandis
Post hominem imposuisse rebus?
An non futuro par erat extrui
Tecta antè regi regia, quàm suo
Cunctis in hæc adduceretur
Ille supercilio imperatum?
At bina quando cuncta animantia,
Essent secundùm juncta genus suum,
Cujus sibi victu uteretur,
Solutus homo socio carebat.
Adjunxit ergò consociabilem
Altus maritam primo homini tonans,
Essent ut insimul ferundo
Tanto oneri omnicapacis orbis.
Fructumque ferrent, quem benedictio
Divina jussit ferre, feraciter
Crescendo replendóque vastam,
Subque jugum redigendo terram.
Hinc inde primam traxit originem
Connubiorum fedus amabile,
Per quod stat ingens terra, per quod
Axis uterque poli repletur.
Turpésque amoris quo D E U S opprimi
Urentis æstus corde sub omnium

Vult:

Vult: ergo in unâ copulati
Vivere carne duo jubentur.
Et hinc apertum est, soléque clarius,
Nodos jugaleis, ludere inaniter
Non forte suetâ, sed Jehovæ
Auspicio Domini ligari.
Gaude ergò frater, cùm tibi compare
Detur fruisi cælitus unicâ
Connubio desiderato,
Numine sic statuente cæli.
O Sponsa gaude, compare cum tibi
Detur fruisi cælitus unico
Connubio desiderato,
Numine sic statuente cæli.
Vivatis opto secla Mathusalæ,
Vivatis, (inquam) & comprecor unice
Vos liberis aptos ferendis,
Omniparens DEUS ille faxit.
Nam liberorum, quos dederit DEUS,
Jucunda vestrum copia lectulum,
Dulcore perfundet decenti, &
Sæpè animos hilarabit ægros;
Cum dulcè nati riserit ad patrem.
Balbutientis vultus *Abramuli,*

B 2

Et hæ-

Et hæsitantis lingua matrem,
Annulula incipiet vocare.
O CHRISTE Sponsis (nam potes) his novis
Frui paratis, & dabis integrâ
Cum mente & æqualem senectam,
Degere, nec pietate cassam.
Et cum tabernas pallida mors pede
Pulsabit horum æquo, in penetralibus
Celi annuas gratam his piorum,
Carpere cum ordinibus quietem.

*M. Martinus Vier-
thalerus Fr.*



Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3
002 690 756



56.

VD77







55. LV.

53

Epithalamia
In festivitatem nuptiarum
Ornatissimi, literatissimiq; viri,
Dn. ABRAHAMI VIERTHA-
LERI Amplifs. Senatui Cothoni-
ensi ab epistolis publicis,
S P O N S I,
Quas cum
Lectissimâ & pudicissimâ virgine
A N N A,
Amplissimi & prudentissimi Viri
Dn. FRIDERICI HAMELII
Servestanæ Reipub. Consulis
meritissimi, filiâ
S P O N S A
Celebrabit Servestæ ad D. 8. Iduum Februa-
rij anno æræ Christianæ 1609.
Congratulationis ergò scripta ab amicis, quorum sua
ejusq; versibus nomina sunt adscripta.
SERVESTÆ
Imprimebat Christophorus Vveida.
Anno 1609.

57

